

B: Berlin Lat. oct. 76 ff. 8v-11r

Ff. 8v-10v Intr7 (*Introductiones dialecticae Berolinenses*),

Ff. 11r, Intr7a (beginning only)

Ed. De Rijk, LM II-1 pp. 152-155

=====

®Introductiones dialecticae®

Ingredientibus logicam incipiendum est / a voce, cuius genus est sonus. Huius definitio talis est: Sonus est quicquid au/re percipitur<sup>1</sup>. Sic definitur. Et sic dividitur: Sonus alius vox, alius non vox. / Sonus non vox, ut fragor arborum, collisio lapidum, et simil(ia). Sonus<sup>i</sup> vox / est percussio aeris, quae formata plectro linguae per quasdam gutturis / cavitates, quae arteriae vocantur, ab animali profertur. Vox alia no/men, alia verbum, alia oratio. De nomine et verbo omittamus.

De oratione a/gamus. Oratio alia imperativa, alia optativa, alia coniunctiva, alia deprecativa, / alia indicativa vel enuntiativa quae propositio dicitur. Imperativa, ut ‘fac hoc’; optativa, / ut ‘utinam hobnus essem’; coniunctiva, ut ‘cum faciam vitulam<sup>2</sup>, pro frugibus ipse / venito’; deprecativa, ut ‘adesto deus’; indicativa vel enuntiativa est eadem quae et / propositio dicitur.

Quae propositio sic definitur: Propositio est oratio verum falsumve significans. / Sic autem dividitur: Propositio alia categorica, alia hypothetica. De hypothe/tica nunc differre licet, et de categorica disserere.

Categorica propositio / dicitur praedicativa a verbo ‘categorico, -as, -at’, quod est ‘praedico, -as, -at’. Categorica propositio est quae habet praedicatum et subiectum cum copula verbi, ut ‘Socra/tes est homo’; ‘Socrates’ est subiectum, ‘homo’ praedicatum, ‘est’ copula.

Categorica / alia vera, alia falsa. Vera, ut ‘Socrates est homo’; falsa, ut ‘Socrates est lapis’. Iterum<sup>3</sup> alia / affirmativa, alia negativa. Affirmativa, ut ‘Socrates est homo’; negativa, ut Socrates non est |B9r| homo’. Iterum<sup>4</sup> alia universalis, alia particularis, alia indefinita, alia

---

<sup>1</sup> p(er)cipit(ur) B, precipitur *De Rijk*

<sup>2</sup> uitula(m) B, vitulum *De Rijk*

<sup>3</sup> Jt(eru)m B, Item *De Rijk*

<sup>4</sup> Jt(er)um B, Item *De Rijk*

singularis. / Universalis, quae habet universale signum, ut ‘omnis homo est animal’; particularis, / quae habet particulare signum, ut ‘quidam homo est animal’; indefinita, quae / nec universale signum habet nec particulare, ut ‘homo est animal’; singularis / propositio est quae habet singulare nomen in subiecto, ut ‘Socrates est homo’.

Et<sup>5</sup> notandum / quod categorica propositio alia universalis affirmativa, ut ‘omnis homo est / animal’; alia universalis negativa, ut ‘nullus homo est animal’; alia particularis / affirmativa, ut ‘quidam homo est animal’; alia particularis negativa, ut ‘qui/dam homo non est animal’.

Deinde sciendum est quod trina est materia circa quam versa/tur omnis propositio: naturalis, contingens, remota. Naturalis est illa materia, / quando id quod praedicatur naturaliter inest subiecto, ut ‘homo est animal’. Contingens est illa materia, in qua forma praedicatur de formato, ut / ‘Socrates est albus’. Remota est, quando id quod praedicatur nullo modo inest / subiecto, ut ‘Socrates est lapis’.

Postquam vidimus quod omnis propositio in tribus / sit materiebus, videndum est quae propositiones quibus propositionibus opponantur. / Universalis affirmativa et universalis negativa opponuntur sibi tanquam contrariae; nam ipsae contrariae sunt. Particularis affirmativa et particularis negativa / opponuntur sibi tanquam subcontrariae, quia ipsae [quoque] sunt <sub>contrariae. Universalis affir/mativa et particularis negativa opponuntur sibi tanquam contradictoriae, et / particularis affirmativa et universalis negativa tanquam contradictoriae. / Universalis affirmativa et particularis affirmativa et universalis negativa / et particularis negativa sunt sibi subalternae, ut in subiecto exemplo patebit.

## Diagram

### |B9v|

Dehinc de legibus earum dicendum est.

Lex contrariarum talis est. Si vera / est una, falsa est alia, ut si vera est haec ‘omnis homo est animal’, falsa est haec / ‘nullus homo est animal’. Inveniuntur etiam<sup>6</sup> simul falsae, nunquam simul verae. / Et in contingentia materia, ut ‘omnis homo est albus’ ‘nullus homo est albus’, utrumque / falsum est.

Lex subcontrariarum talis est. Si falsa est una, vera est alia, / ut si falsa est haec ‘quidam homo non est animal’, vera est haec ‘quidam homo

---

<sup>5</sup> & B, Primo *De Rijk*

<sup>6</sup> &(iam) B, autem *De Rijk*

est animal'. Sed / non convertitur, ut si vera est 'quidam homo est <animal><sup>7</sup>', falsa sit 'quidam homo non est animal'. / Inveniuntur enim simul verae, nunquam simul falsae. Similiter in contingenti materia, ut 'quidam homo est albus' 'quidam homo non est albus', utrumque verum est.

/

Lex subalternarum talis est. Si vera est universalis, vera est et particularis, / ut si vera est 'omnis homo est animal', vera est 'quidam homo est animal'. Sed non convertitur, ut / si vera <est><sup>8</sup> 'quidam homo est animal', vera sit 'omnis homo est animal'. Iterum<sup>9</sup> si falsa est / particularis 'quidam homo est animal', falsa est universalis 'omnis homo est animal'. / Sed non convertitur, ut si falsa est 'omnis homo est animal', falsa sit 'quidam homo est / animal. Possunt enim simul esse verae, nunquam simul falsae, ut 'omnis homo est / animal' 'quidam homo est animal' utrumque verum est.

Lex contradictoriarum / talis est, ut si vera sit una, falsa sit alia, ut si vera est 'omnis homo est animal', / falsa est 'quidam homo non est animal'.

Visa categorica, videndum est de / hypothetica.

Hypothetica dicitur conditionalis propositio. Ypothesis enim Graece, / conditio dicitur Latine; inde hypothetica dicitur, i.e. conditionalis.

Hypothetica / propositio est quae habet antecedens et consequens iunctum vel per 'si' vel per 'cum' / vel 'dum'. Per 'si', ut 'si Socrates est homo, Socrates est animal'; per 'cum', ut 'cum Socrates sit homo, Socrates est / animal', et similia.

Haec aliquando componitur ex duabus categoricis, aliquando / ex categorica et hypothetica, aliquando ex duabus hypotheticis. De / duabus ultimis differamus, et de ea quae constat ex duabus catego/rics agamus.

Categorica probat categoricam aliquando gratia |B10r| praedicati, aliquando gratia subiecti, aliquando gratia utriusque. Quando gratia praedicati, / praedicata variantur, subiecta manent eadem, ut 'si Socrates est homo, Socrates est / animal'. Quando gratia subiecti, subiecta variantur, paredicata manent eadem, / ut 'si omnis homo est animal, Socrates est animal'.

---

<sup>7</sup> animal *De Rijk, om. B*

<sup>8</sup> <est> supplevit *De Rijk, om. B*

<sup>9</sup> Jt(er)um *B, Item De Rijk*

Quando gratia praedicati categorica probat / categoricam, dantur quinque loca: a toto, a parte, a pari, ab oppositis, ab / immediatis; et quinque regulae.

Quando locus datur a toto, datur talis regula: De quocumque / totum, et partes eius sub divisione praedicantur. Verbi gratia: si Socrates est animal, Socrates / est rationalis vel irrationalis. Sed ‘animal’ est totum, partes vero ‘rationale vel irrationalis’. / Quare si in hac propositione ‘Socrates est animal’ totum praedicatur de Socrate, et partes eius de / eodem in hac alia ‘Socrates est rationalis vel irrationalis’.

Quando locus datur a parte, datur / talis regula: De quocumque pars, et totum. Verbi gratia: si Socrates est homo, Socrates est animal. / Sed ‘homo’ est pars, ‘animal’ totum. Quare si in hac propositione ‘Socrates est homo’ pars praedica/tur de Socrate, et totum illius in hac alia de eodem ‘Socrates est animal’.

Quando locus datur a pari, / datur talis regula: De quocumque praedicatur unum par, et reliquum. Verbi gratia: / si Socrates est homo, Socrates est risibilis. Sed ‘homo’ et ‘risibile’ paria sunt. Quare si in hac propositione / ‘Socrates est homo’ unum par praedicatur de Socrate, et reliquum de eodem in hac alia ‘Socrates est / risibilis’.

Quando locus datur ab oppositis, datur talis regula: De quocumque praedicatur / unum oppositum, oppositum illius oppositi removetur ab eodem. Verbi gratia: / si Socrates est homo, Socrates non est lapis. Sed ‘homo’ et ‘lapis’ opposita sunt. Quare si in hac propositio/ne ‘Socrates est homo’ unum oppositum praedicatur de Socrate, et oppositum illius oppositi re/movetur ab<sup>10</sup> eodem in hac alia ‘Socrates <non><sup>11</sup> est lapis’.

Quando locus datur ab immediatis, da/tur talis regula: De quocumque praedicatur unum immediatum, immediatum illius im/mediati removetur ab eodem. Verbi gratia: si Socrates est sanus, Socrates non est aeger. / Sed ‘sanus’ et ‘aeger’ sunt immediata. Quare si in hac propositione ‘Socrates est sanus’ unum imme/diatum praedicatur de Socrate, et immediatum illius immediati removetur ab<sup>12</sup> eodem / in hac alia ‘Socrates non est aeger’.

¶ Quando categorica probat categoricam |B10v| gratia subiecti, tria loca: a toto, a parte, a pari; et tres regulae. /

Quando locus datur a toto, datur talis regula: Quicquid praedicatur de toto, et de par/te, ut ‘si omnis homo est animal, Socrates est animal’.

---

<sup>10</sup> ab *scripsi*, de *B et De Rijk*

<sup>11</sup> <non> *supplevit De Rijk, om. B*

<sup>12</sup> ab *scripsi*, de *B et De Rijk*

Sed ‘animal’ est totum, ‘Socrates’ est pars. Quare si / in hac propositione ‘omnis homo est animal’ ‘animal’ praedicatur de toto, et de parte eius in hac / alia ‘Socrates est animal’.

Quando locus datur a parte, datur talis regula: Quicquid praedi/catur de parte universaliter, et de toto particulariter. Verbi gratia: si omnis homo <est><sup>13</sup> / corpus, quoddam animal est corpus’. Sed ‘animal’ est totum, ‘homo’ pars. Quare si in hac propositione / ‘omnis homo est corpus’ ‘corpus’ praedicatur de parte universaliter, et de toto particula/riter in hac alia ‘quoddam animal est corpus’.

Quando locus datur a pari, datur talis regula: / Quicquid praedicatur de pari, et de reliquo, ut ‘si omnis homo est animal, omne risibile / est animal’. Sed ‘homo’ et ‘risibile’ sunt paria. Quare si in hac propositione ‘omnis homo est animal’ / ‘animal’ praedicatur de homine, et de pari eius in hac alia ‘omne risibile est animal’. /

¶ Quando categorica probat hypotheticam<sup>14</sup> datur talis regula: Si aliquid praedicatur / de aliquo universaliter, tunc si aliquid praedicatur de praedicato universaliter, illud idem / praedicatur de subiecto universaliter. Verbi gratia: si omnis homo est animal, tunc si omne / animal est corpus, omnis homo est corpus’.

¶ <Alia<sup>15</sup> regula>: Si aliquid praedicatur de aliquo universaliter, / tunc si aliquid praedicatur de subiecto universaliter, illud idem praedicatur de praedicato / particulariter. Verbi gratia: si omnis homo est animal, tunc si omnis homo est corpus, quoddam / animal est corpus.

¶ Argumentum est oratio rei dubiae faciens fidem.

¶ Argu/mentatio est argumenti per orationem explicatio.

Quae dividitur in tria: in syllogis/mum et in enthymema et in inductionem. Syllogismus est oratio in qua poitis quibusdam ‘et’ concessis necesse est aliud evenire quam ea quae concessa sunt, ut ‘Socrates est homo, sed omnis / homo est animal, igitur Socrates est animal’. Enthymema interpretatur festina conclusio, quia / posito uno et concessso statim fit conclusio; verbi gratia: ‘Socrates est homo, igitur est animal’. / Inductio est oratio in qua positis quibusdam et concessis fit conclusio; verbi gratia: / ‘qui canit cantor est, et qui pingit pictor est, igitur qui docet doctor est’. |B11r|

---

<sup>13</sup> <est> supplevit *De Rijk, om. B*

<sup>14</sup> hypotheticam *scripsi*, categ(oricam) *B et De Rijk, qui supplevit <gratia utriusque>*

<sup>15</sup> <Alia regula> *supplevi*

\*\*\*\*\*

F. 11r Intr. 7a = De Rijk, LM II-1 p. 155

(TULLIUS<sup>ii</sup>) Logica est *ratio* i.e. scientia *disserrendi* i.e. disputandi *diligens* / i.e. integra et perfecta. Sed quia disputatur argumentis, argumenta autem explicantur / syllogismis, syllogismi vero contexuntur propositionibus, propositiones vero constant ex termi/nis, termini autem sunt nomen et verbum, ideo de nomine et verbo dicamus.

Nomen est / vox significativa ad placitum sine tempore cuius nulla pars extra significat finita recta. ‘Nomen est vox’ hic removet sonos; ‘significativa’ hic removet / non significativas; ‘ad placitum’ removet voces significantes naturaliter; ‘sine tempore’ / removet verbum, quod cum tempore significat; ‘cuius nulla pars extra significat’ removet orationem, cuius partes aliquid extra significant, i.e. propriam significationem habent in / ipso toto; ‘finita’ removet infinitas, ut ‘non homo’; removet non rectas, cum / dicit ‘recta’, ut ‘domini’ ‘domino’ et similia.

Sed quia haec definitio subiecti termi/ni prolixa est, brevius sic dicamus: subiectus terminus est nomen finitum rectum<sup>16</sup> /

---

<sup>i</sup> Vide Boethium, *In Periherm.* ed. sec. I, p. 4.18-20

<sup>ii</sup> Cicero, *Topica* 6

---

<sup>16</sup> hic librarius desinit, et tractatum de rhetorica incipit